Jacobum de Voragine, & præter Petrum de Natalibus *a*:) quamvis valdè obiter, dicens: noluisse hospitari in domo illius, qui semper fuerat in prosperitate. Idem porrò Ambr. hoc eodem loco unumquemq; hortatur ad pœnitentiam, & perferenda libenter flagella, immò, & ut ité sponte ad illa offerat, exemplum hujus modi sibi proponens. *Amicus Dei*, ait, *propheta Dei rex ab ipso electus Deo, & unctus in regnum flagellis se spontaneus offerebat, nec erubescebat, & tu erubescis?* Sancti etiam, ut scribit Gregorius *b*, nempè semper pavidi, nec absque metu de propitiato etiam peccato, mentis suæ corruptionis vulnus, sine putredine non esse considerantes, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat, quod sana cutè intus occidebat. Æternitas præmii, & supplicii conscientia meritorum flagellorum; necessitas hæc, vel hic toleranda, & nunc, vel postea, & alibi, imitatio magistri Christi: præjudicium, atque signum prædestinationis, causæ, inquam, istæ, de quibus Hugo Card. aut Alensis, & aliæ plures, excitare nos debent ad flagella, non patienter tantùm, sed libenter quoque, ac hilariter tolerandum.

Colligunt nonnulli non malè in imponenda pœnitentia spectare sacerdotem debere, ut pœnitens eam libenter amplectatur, & acceptet; sicque iram Dei portetur. Nihilominus multo certius est posse obligari pœnitentem ad acceptandam injunctam aliquam pœnitentiam: in hoc enim etiam consistit potestas ligandi, sacerdotis, ut definit Conc. Trid. *d*. Optimum veri pœnitentis indicium paratum esse ad quamlibet pœnitentiam. Cæsarius *e* narrat, quum in familiari sermone de pœnis inferni territa mulier à sacerdote interrogasset, quid fieret de concubinis sacerdotum, & ille respondisset quasi per jocum, non posse veniam impetrare, nisi clibanum ardentem ingrederetur; illam ferò id existimantem dici, seipsam illic inclusisse, vitamque sub forma columbæ animam ejus evolare in cœlum; quumque nihilominus cadaver, tamquam ejus, quæ se ipsam interemisset, sepultum esset in loco profano, cœlestibus luminibus illustratum fuisse. Non dissimile factum alterius, cui Antonius Patavinus confitenti, quòd pede matrem protrusisset, quum dixisset dignum videri pedem amputatione, amputavit eum sibi, licèt ab eodem Antonio divinitus postea recuperarit *f*.

Placet mihi quoque, ut animabus purgatorii pœnis cruciatis attribuatur hæc sententia, eaque affirmemus se ad flagella paratas dicere posse, quia libenter pœnas tolerant, scientes se gratas Deo, & beatitudinem consecuturas: non autem absorptæ doloribus putant se damnata, ut rectè demonstrat B. Thomas *g*, vel ex eo, quòd vivorum petere suffragia narrentur. Sed hæc de re nos quoque alibi. Nec improbabilis opinio Petri de Vega (hoc loco) verba versus istius pertinere ad inimicos, qui hæc magna loquebantur contra Davidem, nempè traditum flagellis à Deo, continuisque tormentis, tamquam rerum peccatorum gravissimorum, in vita relinqui diutiùs, ut diuturno supplicio oderet aliis exemplum.

Et dolor meus in conspectu meo est semper.) Mihi semper præsens coram oculis mentis, affligens perpetuò, numquam recedens à me: non per impatientiam sed ut tu Deus commoveare misericordia mei. *Dolor*, ut notat Innocentius, ponitur pro re, quæ dolorem affert, scilicet pro peccatis, quorum est *pœnitens* quasi *pœnam tenens*, & jugiter, ut ait Didymus, memoriam illorum servans. *Dolor*, pœnitentis contritionem; flagella, designant satisfactionem: id quod sequitur, *iniquitatem annuntiabo*, confessionem; & *cogitabo pro peccato meo*, peccatorum disquisitionem, cum cura tum dictæ satisfactionis, tum melioris vitæ.

Historiæ produnt, nonnullos nullo umquam tempore de conatis quoque peccatis deposuisse cogitationem, & dolorem, ut Petrum, Magdalenam, Mariam Ægyptiacam, Thaidem, alios, magnoque studio adhibitis pœnis magis, ac magis Deo satisfacere contendisse, atque à Deo ipso popolcisse illud usurpando Augustini: *oicure, & seca, ut in æternum pareas*: secumque recogitando quòd qui *assiduè sibi flagella, lætabitur in novissimo* g.

De flagellorum materialium, quas, & disciplinas vocant, religiosa, salutarique usurpatione multa sunt fidem penè superantia in Epistolis Petri Damiani, atque in libris, quos Gretlerus noster conscripsit, de disciplinis, optimè satisfaciens cavillis hæreticorum, & argumentis quoque pii viri, ac docti Joannis Gersonis *h*, quibus dum meritò flagellatum sectam refutat, qui flagellationem præferebant confessioni, immo, & martyrio, ut Praeolius testatur, vitus est etiam disciplinarum omnem nium penitus abolere, quas quis sponte infligat sibi. Interpretatur Gerson præientem locum, *Ecce ego in flagella paratus sum*, ut flagellatio fiat judicio superioris imponentis talem pœnitentiam, & quòd ab altero fiat, & sine scandalo, & ostentatione, ac sine languine. Interpretatio profectò repugnat sanctorum exemplis, & rationi. Inter exempla jure Paulus castigans corpus, & in servitutem redigens *i*, censeri potest; id enim valet ὑπωπιάζειν, ut diligenter demonstrat idem Gretlerus *k*. Sed quod attinet ad continuum illum dolorem, quem David hoc loco se canit habuisse; interior, ac in animo erat ex perpetua sciêmemoria, cogitationeque, & detestatione præteritorum peccatorum. *Cor autem, quod novit amaritudinem animæ suæ in gaudio ejus non miscebitur extraneus*: & *beatus, qui semper pavidus*]; & qui *de propitiato peccato non est sine metu*m. Unde argumentari licet, in Christo cunctorum in se peccata hominum suscipiente, nec ulla externa re impedito, quique *dolorum vir* appellatur, & sciens infirmitatem, infinitis propè partibus intensiorem, continuum, & in conspectu semper suo dolorem sensisse. Hoc erat *opus illius coram illo* n. Tuccius *o*, hunc dolorem accipi vult de vulnere: & pro flagellis vocem Hebræam צלע *tselahh* latus exponens, air, Christi verba hic esse: Ego latus paratum habeo, & vulnus coram me jugiter. Pia sententia, nec malè accommodata. Dolorem inde non sensit Christus; nisi est, præcognovit, displicuit lævitia persecutoris ad eripiendam tali vulnere, si superesset adhuc, vitam. Omnem verò dolorem passionis, ac vitæ totum semper etiam nunc habet in conspectu suo, ut offerat Patri pro nobis.

Iniquitatem meam annuntiabo.) Hieronymus *annuncio*. Cassiodorus, *pronuntiabo*. Gregorius *p* alibi, & Psalterium Ambrosianum, *ego pronuntiabo*: Psalterium Romanum, Augustinus, Innocentius; *ego pronuncio*. Vel, Deo, ut in Psalmo xxxi. *q*. *Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino*; vel publicè coram hominibus ad commendationem divinæ justitiæ, ac testificationem justæ vindictæ: vel privatim idoneo ministro Dei ad impetrandam remissionem, & absolutionem. Primi duo sensus ad rem nostram faciunt maximè, & Davidis mentem, ut scilicet quoties occasio ferret, id quod intimè sentiebat, & fatebatur Deo, etiam ingenuè, liberaqi oratione proderet apud alios, sine cunctatione, se peccatorem, & divinæ justitiæ pœnas debitas luere, cum varius quum sineret vexari calamitatibus.

Ultimus noster est, ac nostris moribus servit sensus, religionique Christianæ, in qua privatim, ac distinctè peccata confitenti Sacerdos Dei nutu, potestatequè condonat. *Vera humilitatis*, ut ait Gregorius, *testimonia sunt, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis* (videlicet etiam extra sacramentorum confessionem) *nuntiare, & nuntiatam pœnitentia satisfactione* (præsertim in sacramento ipso injunctæ) *delere*. Dolor elicit confessionem: solemusque alicubi vexati in corpore, omnibus facilè aperire, ut vel remedium, vel, qui saltem compatiatur, reperiamus. *Qui peccare se nescit, corrigi non vult*, ait Seneca *r*. Dolorem in conspectu habens, annuntiabat David iniquitatem. Ut id faceret, missus: Nathan; sicut Deus, ut eliceret ab Adam confessionem; interrogavit ubi esset *s*: & ut arguat peccatorem, *statuit contrà faciem* ipsius peccata ejus *u*. Ezechias *recogitabat Deo omnes annos suos in amaritudine animæ suæ* x. Rursus David judicia Dei non oblivisebatur *y*; simul misericordiam ejusdem ante oculos habens.

De sacramentali confessione videntur locum hunc accipere Origenes, præterea Ambrosius, Augustinus, Innocentius, Origenes comparat confessionem cum evomitione indigestæ escæ, humoritve, aut phlegmatis, quæ stomachum gravent: Basilius, & Ambrosius cum

a in Catal. SS. in l. c. 7.
b 7. Mor. c. 7.
c Mich. alt 9
d Sess. 14. c. 8 & can. 25.
e l. 1. Mirac. c. 55.
f in Vita.
g 4. d. 21. q. 1. a. 3. q.
h Tr. cons. flagella in.
i 1. Cor. 9. 27
k Lib. 1. c. 9
l Ps. 28. 14. m Eccl. 5. 5.
n Is. 40. 10. o in Cant. lect. 26.
p 8. Mor. c. 11. vel 10. q v. 5.
r 1. Reg. 9. 5 c. 10. 2. Is. 57. 11. Jer. 37. 3. c. 38. 19 c. 14. 16. g 4. & 8. Ann.
s Mat. 6. 25 28. 31. 34 t ibid. v. 27.
k r. 10. 41.
l Tuscul. 4. 5.
m 8. mor. c. 11.
n Ps. 139. 3 o Ps. 72. 8 p Ps. 34. 21. q Luc. 12. 18 r 1. Reg. 13. 1. & seq. s Dan. 13. 10 t Gen. 6. 5 u c. 8. 21
Punitens quasi pœnã tenens.
Apud Sacer dotem confessio, & absolutio.
r Epist. 28. f 2. Reg. 12. 1
t Gen. 39. u Ps. 49. 21. u Is. 38. 15. x Ps. 118. 59 y Ps. 25. 2.

cum febre, quæ quum se in apexum promovet, remittitit, & spem sanitatis promittit; ideò justum, idest, qui justitiæ teneatur desiderio, *accusatorem esse sui* in principio sermonis *a*, priusquam contagio ulceris serpat magis intrinsecus: Chrysostomus *b*, præcipi ab Isaia *c*, ut dicat quis prior iniquitates suas, ut justificetur, ne arguens, & actor Diabolus prior dicat. Hoc ipsum Cyrillus *d* docet, perpendens præterea verba Levitici, *pronunciet peccatum, quod peccavit*, non minuendo quibusdam vocibus, inquit Gregorius *e*, sed, ut magna peccata pronuntiando.

Meminit hic Origenes confessionis factæ petito medico animarum, quem sibi quis delegerit, & cujus consilio publicè confiteatur, vel non confiteatur; latis profecto hac ratione innuens confessionem quoque sacramentalem privatam, & auricularem. Fateor non convincere locum istum confessionis usum, non dicam sacramentalis, quæ in lege vetere nulla erat; sed nec alterius, quæ fiebat homini alicuiusq; quin faveat tamen utrique, nolim negare, ne patribus contradicendo, videat hæreticis favere, qui sacramentalem adeò execrantur. Certè probabilior expositio hæc, quàm Vatabli, ut *annuntiare iniquitatem*, sit, deplorare tristem, & calamitosum statum suum, pœnas, & afflictiones, verbis, ut mœsti solent, ac ærumnosi, evulgare R. Salomon de nonnulla peccatorum confessione interpretatur.

Cogitabo pro peccato meo.] Hieronymus, *sollicitus ero*, Innocentius, *cogito*. Augustinus, *curam geram*, Alii ex Hæbræo, *timeo propter peccatum meum, doleo, anxius sum*, vel, *ero*. *Cogitare pro peccato*, vel est, anxia cogitatione discruciari: vel, qua ratione in posterum caveatur, pro eoque magis satisfiat, prospicere: vel, vereri ne, quod inde existat malum pœnæ temporalis, etiamsi alioqui condonatum sit; vel, adhùc metu non carere de propitiato, hoc est, ne non revera propitiationem adhùc sis consecutus: denique, curam gerere, & operam dare, quod, ait Augustinus, semper niti, semper intendere, semper studiosè, & sedulò agere, ut sanes tamquam vulnus peccatum tuum, facere omnia, quæ facienda sunt, ad abluendum. Hebræum דאג *dang*, significat, *pavere dolore, anxium esse*: redditurque alibi *f*, *sollicitum esse*: Græcum μεριμνᾶν, valet, habere μερίμνας, *curam*, quæ mentem veluti dividat, quasi deducas à μερὶζ καὶ νοῦς: quod Latinè dicimus, *animum curis distrahi*, quod Poeta *g*.

—— *magno curarum fluctuat æstu.*

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias.

In novo testamento interdum vertitur, sollicitum esse, ut *h* *ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis*, μὴ μεριμνᾶτε: nonnumquam *cogitare*; ut *i*, *quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* τὶς δὲ ἐξ, ὑμῶν μεριμνῶν. Martham sollicitam Lucas *k* à Christo vocatam narrans, utitur eodem verbo. Finit sollicitudinem Cicero *l*, *ægritudinem cum cogitatione*. Festinationem hoc loco Didymus exponit, ut opera pœnitentiæ absolvantur: Gregorius *m* alibi, medicamentum vulneri apponere. Si cogitant *iniquitates iniqui jugiter in corde, totaque die confitiunt pralia* n: si cogitant, & loquuntur *nequitiam* o: si *in iracundia terra dolor* cogitant *p*: si de congerendis avari opibus in horrea nova *q*: si luxuriosi exemplo Ammon *r*, vel senum impudicorum *s*, cogitant quo pacto expleant libidinem: si cuncta cogitatio corporis nostri per se *intenta est ad malum omni tempore* t, jam inde *ab adolescentia* u: si superbi non desistunt à cogitationibus suis, donec eas opere compleant; sicque quivis peccator cogitat pro peccato suo contra seipsum, ac in perniciem suam, & adversus honorem Dei; si, ut rationcinatur Origenes, perquirit quisque quomodo corpori sanitas reddatur, & præveniatur infirmitas; quid nos pro salute nostra, & ut satisfaciamus Deo, cogitare de peccato nostro necesse est, ut aboleatur. Securi erimus contemnentes gehennam, & ridebimus, & monentem Ecclesiam despiciemus, & communicare corpus Christi quasi mundi, & puri non verebimur? *Cogitemus vias nostras, & convertamus pedes nostros in testimonia Dei* x: Caveamus vanissimam securitatem, & certum certitudinis quam promittunt Hæretici peccatoribus periculum, jubentesque esse securos, certosque quòd peccata sint illis remissa, & ut satisfactionis curam omnem abjiciant.

a Pro 18. 17 b Hom. 20. in Gen. c c. 43. secundum LXX. d l. 3. in Lev. e in Reg. c. 14.
f 1. Reg. 9. 5 c. 10. 2. Is. 57. 11. Jer. 37. 3. c. 38. 19 c. 14. 16. g 4. & 8. Ann.
h Mat. 6. 25 28. 31. 34 i ibid. v. 27.
k r. 10. 41.
l Tuscul. 4. 5.
m 8. mor. c. 11.
n Ps. 139. 3 o Ps. 72. 8 p Ps. 34. 21. q Luc. 12. 18 r 1. Reg. 13. 1. & seq. s Dan. 13. 10 t Gen. 6. 5 u c. 8. 21
x Ps. 118. 59.

Vers. 20.) Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè.

Vers. 21.) Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

TAmetsi ad flagella se promptum, paratumque profiteatur, ac de peccatis valdè anxium, & sollicitum, ut satisfaciat Deo, nihilominus non potest dissimulare, quod, & aliquoties aliis in Psalmis repetit, atque inculcat, quin sibi magnopere displiceret, viventes, ac valentes, & adversum se prævalentes cernere inimicos suos, numero magno, quos nulla umquam in re læserit: sed pro acceptis à se beneficiis, per summam ingratitudinem, calumnientur, non propter peccata in Deum commissa, quòd minùs mirum, aut molestum esset, verùm etiam justum, ac debitum; sed ob eam dumtaxat caussam, quod abhorrens à perversa illorum vita, moribusque, studeret virtuti, & honestati. Mysticos hic aptare sensus prius indicatos facile, vel de Christo, vel de quolibet justo, seu de respiscente peccatore, quos improbi persequuntur.

Inimici autem mei vivunt.) Cassiodorus, & Psalterium Romanum, *vivunt*, Hieronymus ex Hebræo חיים *chaiim viventes confortati sunt*. Cyrillus *vivere* declarat vigere, posseque pro arbitrio cuncta statuere: vulgo etiam de homine strenuo, & vivaci, & prompto ad agendum, dici solere, *homo ille vivit*. Idem ferè Euthymius, ac Nicephorus docent, & Apollinarius vertit θαμβοῦντες, *florentes, vivere* Poetis est genio indulgere.

Vivite y luxcones, comedones, vivite ventres.

Item z.

Nam nullo cui mentem voluptas recreat.
Non vivere hercle existimo, sed mortuum,
Viventis illum ferre pra se imaginem.

Præterea Martialis *a*.

Non est vivere, sed valere vita.

idem in priore notione idem usurpant interdum,

Si vivis b anime; si quid antiqui tibi
Remanet vigoris: pelle fœmineos metus,
Et in hospitalem Caucasum mente indue.

Favet magis Græcis τὸ ζῆν, quasi πηφὸ τὸ ζῆν, quod est, *fervere*. Hebræi quoque interdum divites, ac potentes vocant חיים *chaiim*, & Deum ipsum חי *chai*. Et vivat *vivat Rex*, apud illos imprecatio felicitatis est, vulgo etiam dicitur, *Vivat qui vincit*. Ad hæc *vivere justus ex fide* dicitur *c*, quia vitat miserias suppliciaque improbis impendentia, & fruitur læta mentis tranquillitate. Illud etiam, *& vivet*, *& dabitur ei de auro Arabiæ* d, prosperitatem denotat. Denique *vivit anima* e, vivit quis in legibus; ac judiciis Dei, qui facit *f*, quia effugit calamitates aliis ingruentes. Hoc quoque loco Patres *viventes* sic interpretantur, ac tropologicè, ut opponuntur mortificatis, & huic mundo mortuis, atque *mortificationem Christi circumferentibus in corpore suo*. Benè est eis, ait Augustinus, gaudent in sæculi felicitate, ubi ego, & laboro, & rugio à gemitu cordis mei: hæc vita illorum est, hanc laudant, hanc amant, hanc malo suo amant. Viventes justi quotidie moriuntur *h*, *mortificantur tota die i*, *in amoribus frequenter sunt k*, moriendo peccatis non sibi, sed justitiæ vivunt, & Christo, qui pro illis mortuus est.

Adversus molestam illam de improborum prosperitate cogitationem valent dicta priore Psalmo: consertque plurimum cogitatio, quam quis, ut ante dictum est, pro peccato suo suscipit. Invitat iniquos Deus, & revocat à peccatis, & querelis contra se, beneficiis externis: ut muneret nonnulla eorum operum bona: ut in judicio prætexere caussas excusationis nequeant: ut intelligant justi, quàm parvi æstimet Deus, quæ tam facile largitur immeritis: ut discant inimicis benefacere, quum si erga suos Deus tam beneficus. Hæc Pepinus

y Lucill. z Sophoc. in Antig.
a l. 6. ep. epig. 70.
b Sen. in Medea actu 1.
c Habac. 2. 4
d Ps. 71. 15 e Ps. 118. 77 Jer. 30. 2 f Levit. 18. 5
g 1. Cor. 4. 10
h 1. Cor. 15. 31 i Rom. 8. 13 k 2. Cor. 11. 23

pinus amplificat. Ad importunam illam, & iniquam A contra Deum querimoniam semper hoc nobis respondeamus, ut Origenes monet; etiamsi inimici mei vivant, & confirmati sunt super nos; nos tamen cogitabimus pro peccato nostro: & videntes alios prosuis non esse sollicitos; nihilque cogitare de illis, dum vivunt jucundè, ac impunè, spem habemus in Deum. Qui per dolorem, annuntiationem peccatorum, cogitationem pro illis, videntur devicti inimici nostri, caro, mundus, dæmones, ferociùs, & alacriùs resistere, ac repugnare nobis solent.

Confirmati sunt super me.) Hieronymus, *confortati sunt*. Sed absque duabus particulis *super me*, quæ non sunt in textu Hebræo; sed additæ ad vim superlativi, quo carent Hebræi, exprimendam. Psalterium Romanum; Cassiodorus; Innocentius, *confortati sunt super me*. Symmachus, ζωντες ὑπερισχυσαν, *viventes prævalent*, aut supervalent, vita dicam.

Multiplicati sunt, qui oderunt me inique.) Hieronym. *mendaciter*, quod valet שקר *sakar*. Est idem, quod in Psal. XXXIV. a, odiile gratis, δωρεαν חנם *chinnam*: & in LXVIII. B b *Multiplicati sunt super capilos capitis mei, qui oderunt me gratis*: & in XXIV. c. *respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me*. Christus dum vixit, multos habuit inimicos: deinceps Ecclesia, & quilibet justus, ad quem redit, pulsus, immundus spiritus, assumptis septem aliis, idest, plurimis nequioribus se d. *Odisse gratis*, est & sine ulla causa, & sine ullo emolumento, quale odium Dæmonum: ut scribit Augustinus e, iniquè, etiam contra caussam, & contra justitiam quamdam, quæ cernitur in compensandis beneficiis; ut Cyrillus docet f: falsè, & mendaciter fingendo falsas caussas odii, Omnibus his modis oderunt Christum Judæi, quibus ille: *Multa bona opera ostendi vobis a patre meo, propter, quod horum vultis me lapidare?* & de iildem, *Odio* g *habuerunt me gratis*. Ambrosius vult Christo soli convenire haberi odio gratis, quia nullius capax peccati; aliis, iniquè, quoniam possunt quidem non peccare contra Justitiam, sed aliquo tamen alio vitio tenentur. Multiplicationem non de numero solo, sed de affluentia, & exuberantia, copia opum, & rei familiaris interpretari possumus.

Qua retribuant mihi mala pro bonis.) De hac dicendi formula lege Psalmo VII. h. *Sed reddidi retribuentibus mihi mala*, & XXXIV. i. *Retribuant mihi mala pro bonis*. In posteriore attulimus sex differentias in reddendo mala, & bona, cum August. in Psal. CVIII. Gregorii hoc loco sententia est, quòd qui reddidit mala pro malis, bonis non est: qui non reddidit bona pro bonis, ingratus; qui autem reddit mala pro bonis, iniquus est. Innocentius distinguit quatuor membra, ut retribuantur bona pro bonis; mala pro malis, bona pro malis mala pro bonis: primum fecisse Israelitas cum Raab meretrice k: secundum Samson cum Philistæis l: tertium Joseph cum fratribus m; ultimum, Judæos cum Christo. Subdit ad primum, quemlibet ea lege teneri, ut *quæcumque volumus, ut faciant nobis homines, & nos eadem faciamus illis* n. Id Hieron. o vocat compendiosum commonitorium, & superscribendam cordi sententiam, & totius justitiæ breviarium, quoque latentem hominum conscientiam secreto animi judicio, aut absolvat, aut damnet, & ad omnem actum, ad omne verbum, ad omnem etiam cogitatum, retractari debeat, esseque quasi speculum quoddam paratum, & ad manum semper positum, ut qualitatem nostræ voluntatis ostendat, ac etiam, vel de injusto opere redarguat, vel de justo lætificet: nihil in hac re ardunum, difficile, impossibile ira, ut injustè, jubens Deus, injustus pronuntietur ab hominibus. Eamdem placuisse mirum in modum sententiam Alexand. severo scribit Lampridius, ut aliàs etiam retulip. Ad secundum, ait Innoc. neminem teneri, nisi judicem, cui præcipiebatur, *oculum pro oculo, dentem pro dente* reddere q, quæ appellatur lex talionis: aliis dici, ut non reddant malum pro malo; neque *maledictum pro maledicto* r. Ad tertium teneri quemlibet saltem perfectum, ut scilicet reddat pro malis, benefaciat odientibus, oret *pro persequentibus*, & *calumniantibus* s. Ad ultimum nullum omninò teneri, sed vitare debere, nec reddat bona pro malis: idcircò in Ps. CVIII. t, quum dixisset Propheta, *posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea*, subjunxisse, *Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris ejus*.

Quatuor alias, quas negativas vocat, idem Pontifex adjicit differentias, non reddere bonum pro bono, quod est malum: non malum pro malo: quòd bonum non bonum pro malo, quòd minùs profectum: non malum pro bono, quod omnibus est bonum: Deinde instituit satis subtilem, & longam disputationem, quo pacto se in bonis, ac malis, & æternis, & temporalibus, reddendis habeat Deus, tum in ista, tum in futura vita: sed hoc ad rem nostram non facit: tamen lectu dignum. Hugo Cardinalis reddere bona pro bonis naturalem vocat legem: mala pro malis, ex iniqua affectione, legem carnis, bona pro malis, legem Dei: mala pro bonis, legem Diaboli. De ingratudine pauca dicere ingratum non esset: multa nimis ab instituto alienum. Postquam Deus illam exaggeratissimè reprehendit, velut Uvam fellis, sel Draconum venenum aspidum insanabile: Mea, inquit, *est ultio, & ego retribuam* x: item, *da filios eorum infamem, & deduces in manus gladii: fiant uxores eorum absque liberis, &c. ne propitieris peccato eorum, & iniquitas eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis*, ait Jeremias: y præfatus, *Numquid redditur pro bono malum?* Malorum omnium extremum z Cassiodorus affirmat, ut inde quis cogatur detrimenta suscipere, unde credebat auxilia provenire, molestiam pati sine caussa, pœnam sine culpa, damna sine delictis. Displicuit summopere Deo conflatio vituli, tum verò quia ex auro, & argeneo facta est, quod Dei dono abstulerant ex Ægypto a: si placet lege à me hac de re disputata in libro Sapientiæ b, & Ecclesiastæ c.

Detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.) Heronymus, *adversabantur mihi, quoniam sequebar bonum*. Psalterium Romanum, Ambrosius, Cassiodorus, Innocentius, Paulinus d, *quoniam subsequutus sum justitiam* Augustinus, *quoniam persequutus sum justitiam* Gregorius e in Ezechielem, *quoniam persecutus sum justitiam*. Psalterium Ambrosianum, *quia subsequebar justitiam*. Pro *detrahendi* vebo est Græcum διαβαλλειν, *adversabantur* (Symmachus αντικειντο, *calumniabantur, criminabantur, accusabant*, (unde nomen *Diaboli*, quòd sit accusator f, & adversarius g: de quo aliàs) & Hebræum ישטנוני *iisstenuni* (ex quo nomen *Satan*, quo alibi quoque declaravimus) & significat *offendiculum*, ac *impedimentum ponere*. Sequi est Hebraicè, רוף *radaph*, Græcè καταδιωκειν, quæ in Psalmo XXII. h. reddita sunt per verbum *subsequendi Bonitas*, Hebraicè, טוב *tob*, Græcè ἀγαθοσυνη, significare hoc videtur *benignitatem*, & *humanitatem*: Hanc Chrysostomus, & Hesychius de Christo exponunt, tot edente miracula in beneficium Judæorum: Theodoretus, Basilius, Euthymius, Nicephorus de Davidis oblivione injuriarum, quodque adeò facilè ignosceret adversariis, ut Absaloni, & Sauli Cyrillus, & in Homilia Basilius, Origenes, Ambrosius, Gregorius, universè de virtutis via, quam teneret David, deque legis custodia, quam *justitiam* nominant, quoniam ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, *qui infami graditur viam*: & impii *circumveniunt justum*, quando *contrarius est operibus* eorum, & *improperat peccata legis* i. Didymus, de pœnitentia pro peccatis. In Sixtianis Bibliis Græcis est δικαιοσυνη, & præter citatos antea, ita quoque legit Psalterium Arabicum, & Æthiopicum, nec non Apollinarius, qui reddidit δικης συνιδιον, *justitiæ socium*.

Vim facit Ambrosius, & Innocentius *insubsequendi* verbo; quia propior qui *subsequitur*, ait Ambrosius, quam qui sequitur: & *suppar* quàm par: & *successio* hæredis magis, quam cessio, numcupatur: quoniam, ut ait Innocentius, *non hominum justitia sequitur, sed hæc illum, gratiaque prævenit ut bona operatio subsequatur*; illi autem detractores Deo maximo odibiles, qui propterea cuipiam detrahunt, quòd subsequutus est justitiam & sequitur bonitatem: ac videntur Spiritus sancti gratiam in eo persequi, sicque in Spiritum sanctum quodammodo peccare, dum præferunt arbitrium gratiæ. Augustinus perpendit verbum *persequendi*, quasi perfectè se justitiam secutum significet. Potiùs arbitrarer καταδιωκειν, & *persequi* bonitatem, idest, benignitatem, esse summo studio illam sectari, ac velu-

veluti retinere fugientem, sicut Psal. XXXIII. dicebatur *inquire pacem, persequere eam*, quòd quum ille conaretur, ipsius advertari tum verbis, tum factis, & quacumque ratione ab eo quasi itinere impedire, ac retardare conabantur. De detractione dictum priùs: etsi verò molesta sit viris quoque sanctis, ut in libro Ecclesiastæ a demonstravi, quemadmodum Judæis ædificantibus merum b; curanda illis non est, nec timere debent sermones aliorum quibuscum habitant, tamquam cum incredulis, & subverloribus, & scorpionibus, ut monet Ezechiel c. Quia *stultum valde est*, inquit Greg. d, *si illis placare quærimus, quos non placare Dominus scimus*, &c. *nam perverforum derogatio, vita nostra approbatio est, quia jam ostenditur nos aliquid justitiæ habere si illis displicere incipimus qui non placent Deo*, &c. perversi mala pro bonis retribuunt, justis derogant, quia contra eos justitiæ defensionem servant.

Antisthenes miserum se, laudatus ab improbis, exclamavit, ac timere dixit, in aliquodne crimen incidisset, & quum à multis se laudari intellexisset; quid, inquit, *malifeci*? Paulinus f, Aprum ex adB vocato, & Judice Monachum adversus obtrectatores hæc ratione solatur, quòd verum imitatorem Christi, & à se alienum, adversumq; odisse soleat mundus g: quòd justi eos, qui oderunt Deum, perfecto odio oderint h: quòd hoc sit esse in bono Prophetarum, Apostolorumque participem, quum Propheta noster canat, *Detrahebant mihi, quia subsecutus sum justitiam*; & Paulus scribat i, *Facti sumus omnium peripsema*, atq; spectaculum, mundo, Angelis, hominibus: quod, ut *hilarem datorem* k, sic *incorrupsibilem operarium* l Diligit Deus, quòd vivendo meliùs arguantur obtrectatores, quàm loquendo: quoniam *qui arguit insipientem*, (in editione nostra, impium) *fumit sibi maculam*, (*sibi maculam generat* m,) hi in fragili soliditatem, & in solido inanitatem putant, vera pro vanis rident, & pro veris vana mirantur. Sed perlege totam otiosè Paulini piissimam, propositoque accommodatissimam Epistolam.

Verf. 22.) Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.

Verf. 23.) Intende in adjutorium meum, Domine, Deus salutis meæ.

TErminat lugubres lamentationes de suis ærumnis, & sævitia inimicorum, supplici opis divinæ imploratione; ne se Deus deserat, sed citò, ac seriò succurrat velut is, ad quem hoc spectet, quum sit Deus salutis, nec aliundè ista sperari, & exspectari vel debeat vel valeat; atq; idcirco potissimum, ut non exponatur hostibus perdendus, aut ridendus. Ad pœnitentem, vel ad Christum ipsum orationem istum applicant, qui reliqua quæ præcesserunt in Psalmo, de iildem interpretantur. Testatur Ambrosius ante vers. 22. post præcedentem in aliquot codicibus Græcis, & in omnibus Latinis, hæc fuisse, *& pro jecerunt me sicut mortuum abominatum, sed tu ne derelinquas me*, &c. August. dum exponit, legisse se ostendit, nec non Didymus. Aptè verò Ambrosius exemplo fœtentis Lazari n verba illa declarat: August. de Christo qui crucifixus est, velut abominatus, & *maledictus* o, & in Cruce dixit, *Ut quid dereliquisti me* p; quasi diceret, quod hic est, *ne derelinquas me*: quia in persona illud primi hominis dicebat; cujus veram naturam quam acceperat, ostendebat: hoc autem, quia Deus quemadmodum corpus non derelinquit ita multoque minùs caput mysticum, quod est Christus.

Ne derelinquas me Domine Deus, ne discesseris à me:) Hieron. pro ultimis verbis *ne elongeris à me*, quod valet אלתרחק *altirchak* μὴ ἀποστῇς. Sic in Psalmo XXI. q. *Ne elongaveris auxilium tuum à me*: & in LXX. r, *Deus ne elongeris à me*; ubi est רחק *rahak*, & μακρυνειν. Hoc verbum, (sive sententiam) si cum affectu, & desiderio sæpe replicare studuerimus, tentamenta Diaboli timentes, & parti in hoc sæculo adversa pertimescentes, atq; Deum tota virtute nos conversentes, clamemus ad eum medullis cordis, *Puto*, inquit Gregorius, *quòd quamdam in eo dulcedinem sentiemus, quam sermo noster explicare non valet*. Idem Cassianus f, multis verbis docet de versiculo Ps. LXIX. s. *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina*.

Derelinquuntur à Deo eum electi tum reprobi tribus modis. Electi, secundùm pœnam sive corporalem sive spiritualem, dum fiuntur variis affligi calamitatibus, quo purjores à peccati labe reddantur, & eorum illustrior virtus appareat; secundùm gratiam gratuitam devotionis, & consolationis spiritualis, qua Deus etiam absq; culpa privat interdum servos suos, & privavit Christum ipsum in cruce clamantem, *ut quid dereliquisti me?* Secundum gratiam quoq; gratum facientem, quum permittit Deus illos ad tempus ejus jacturam facere, moraliter peccando, ut nostro accidit Davidi, & aliis, qui postea resurrexerunt humiliores, cautiores, ferventiores. Reprobos derelinquit Deus, primùm gratia spoliando sanctificante, quam amittere peccando meruerunt: deinde, sinendo eos in graviora peccata labi, usque peccandi continuo obdurare in malo, non removendo peccatorum occasiones, negando gratiam abundantem, qua molliantur corda illorum, quibusdam etiam beneficiis afficiendo, quibus abusurosscit ad magis peccandum; tandem derelinquit in æternum, non eligens ad vitam æternam, sed relinquens *in massa perditionis*, ut loqui solent August. Thomas, aliique Theologis; sed propter prævisa simul peccata. Interdum quoque derelinquit, præveniendo veluti supplicia ipsa æterna, quibus puniat.

An autem ita derelinquatur, aliqui, ut nulla ratione converti valeant ad pœnitentiam, in quæstione est apud Theologos. Illos tequor, qui tametsi nonnullos dicant per difficilè converti, ac ferè moraliter loquendo, non posse; negant, simpliciter, ac physice non posse, ita ut illis verè, ac meritò imputetur ipsamet, quam vocamus, finalis impœnitentia, non sola dumtaxat præcedentia peccata. Difficilia contrariæ sententiæ locatum ex Ecclesiaste, u, tum ex Sapientia x in C Commentario illorum librorum declaravimus; quo pacto nemo corrigere possit quem Deus despexit, qua ratione dicatur naturalis aliquorum malitia, & non posse mutari cogitatio eorum in perpetuum, nec tamen imputari Deo perditio illorum. Quibus dicendi modis alii sunt similes de induratione, aggravatione, excæcatione cordis y: de spoliatis ad vineæ similitudinem z, ac destitutis omnibus auxiliis gratiæ: de datis *in reprobum sensum* a, de *venundatis sub peccato* b, de non valentibus benefacere magis, quàm *Æthiopis mutare pellem, & Pardus varietates suas* possit c, de relictis, quia curari noluerunt d, de Deo proficiente aliquos à se, & facie sua e: avertentem faciem, & declinante ab aliquibus f, dimittente *secundum desiderium cordis eorum* g. Et has nos famulas explanavimus in Commentario actuum Apostolorum h.

Suarez i autem noster copiosè tractat controversiam totam. Constat, nulli reprobo dari gratiam efficacem, qua convertatur: in eoque sensu loqui August. k interdum videtur, quum scribit, negari hominibus absque D particulari culpa ipsorum. Sed, & illud certum, de ratione viatoris esse, ut ad viæ terminum, in qua est, pervenire possit, vitæ autem spatium, tempuiq; tota vita est; item, ut obedire valeat præceptis divinis, interquæ præceptum est spei, ac pœnitentiæ: quandiu ergo quis vivit, & usum liberi arbitrii habet, sperare, ac pœnitere debet, ac potest, conceditutque ei sufficiens gratia, per quam si ei liberè cooperetur, sicut potest, pervenire possit ad terminum felicitatis, pœnitendo, & gratiam finalis gratiæ consequendo. Et quamvis atrocitas, ac multitudo criminum, posset per se derelictionem mereri, immo, & quodvis peccatum mortale, non videtur tamen Deus hoc voluisse, quemadmodum nec ullus quibuscumque meritis, meretur sibi de condigno confirmationem in gratia, vel perseverantiæ donum: quam etiam gratiam, donumq; qui habet, adhuc in via est, ac per eam tendere magis, & magis potest ad terminum. Denique ne longum faciam, neminem Deus, qui vult omnes salvos fieri, deseriit in hac vita, nisi Deum prior deserat, ut definit Concilium Trident. l, Scripturæ verò absque ulla exce-

a in c. 7.8.
b Eccl. 4.1, 23.4.5
c cap. 38.14.
d Hom. 9. in Ecc
Stultum est illis placere Dom. scimus Anth, excl.

e Laer. l. 6.
f Epist. 27.
g Jo 15. 19.
h Ps. 138.22

i 1. Cor. 4.13.
k 1 Cor. 9.7.
l 2. Tim. 2. 15.
Vivendo melius arguuntur obtrectatores, quam loquendo.
m Pr. 9.7.

n Jo 11. 39.
o Deut. 21. 22. Gal. 3.10
p Mat. 27.46

q v. 20.
r v. 11.

s v. 2.
Tres modi quibus derelinquuntur à Deo, tum electi tum reprobi.

t Colla. 10. c. 10.

u Mat. 27. 46.
x cap 7.14.

y c. 12.10.12
z Is 6. 9. & alibi.
a Is. 5.4.
b Rom. 1.28
c cap. 7.14.
2. Mach. 1.6
d Ier. 12.25
e cap. 51.9.
f Ps. 50.23.
g Ps. 70.9.
h Ps. 80. 1.
i in c. ult. 27

k 3. p. tom. 4. disp. 8. sect. 2
l de prædest. Sanc. pracpuer. 5. & alibi.

l Sess. 6. c. 14. & Sess. 14. tot.

exceptione pollicentur omnibus; etiam maximus peccatoribus, pœnitentiæ locum: & Patres passim id affirmant, quæ testimonia colligit citatus Suarez.

Illos Dominus relinquit, quibus constantiâ in tribulatione non tribuit.

Alia testimonia Scripturæ, & Patrum oppositum præ se ferentia de gratia efficaci, sive congrua, planè intelligi debent. Porro novissima Gregorii sententia hoc loco. Illos proculdubio Dominus relinquit, quibus constantiam in tribulatione non tribuit: Necessariò enim sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicumque à Deo fuerit derelictus. Ex quo satis recepta illa opinio comprobatur, nullum veram tentationem superari posse solis naturæ viribus, sive auxilium speciale sit interna illustratio, aut motio supernaturalis, sive consistat in speciali providentia Dei, removentis occasiones peccandi, vel non permittentis Diabolo servire quantum vellet, sive se habeat alio modo, quo Deus nos juvet. Etenim tentationes nonnullæ sunt, quæ non sunt per se supra vires nostras, & tamen si Deus nos penitus derelinquat, dæmonemque quantum vult, valetque, agere sinat, evadent difficillimæ, ac etiam intolerabiles. Hic est sanè sensus Ecclesiæ tam crebrò illud frequentantis inter preces, *Deus in adjutorium meum intende*, &c. & in ea, quam recitamus ad horam primam, invocantis, ut sua nos hodie Deus salvet virtute, ne ad ullum declinemus peccatum, sed semper ad ejus Justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera per Christum Dominum nostrum, hoc est, per gratiam ipsius. Oremus præterea, ne quum defecerit virtus nostra, immo quum ipsa per se deficere soleat, derelinquat nos Deus, ut non dicant inimici, & qui custodjunt animam nostram, (Dæmones) *Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite, quia non est qui eripiat eum. Deus ne elongeris à me; Deus in auxilium meum respice* a. *Non derelinquit Dominus sanctos suos, in æternum conservabuntur* b; *Deus misericors Dominus Deus noster est: non dimittet* c. *non repellet plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet* d.

Ecclesiæ preces.

a Ps. 70. 12.
b Ps. 36. 28.
c Deut. 4. 31.
d Ps. 93. 14.

Intende in adjutorium meum.) Sic Psalm. LXIX. e *Deus in adjutorium meum intende*. Utrobique est Græcum πρόσχες: hic Hebr. חוש *chus*, quod Hieron. vertit, *festina*; & ibi quoque LXX. σπεῦσον, & Latinus interpres, *festina*, in altero membro. *Domine ad adjuvandum me festina*. Hoc etiam loco reliqui interpretes Græci habent, σπεῦσον. Chaldæum verbum utrobiqi est זרז *zeriz*, quod significat, *accingi*, vel etiam *festinare*. Sensu planè mystico Chrysostomus, ac Hesychius, *adjutorium* appellant Ecclesiam Christi, sicut Eva data scribitur f *in adjutorium simile Adamo*: propterea que Paulum g, quæ de primis conjugibus traduntur, ad eumdem Christum, & Ecclesiam transtulisse: Christum his verbis orare pro Ecclesia, quam synagogæ præferat. Inde aliqui detorquent, ut vir eadem usurpet verba, ut eum Deus juvet in uxoris habenda cura. Sed nec admodum aptè, Ricardus Pampolitanus explicat, *intende*, hoc est, ostende te intentum adjuvando, sicut sum intensus patiendo, non remissus. Qui me leget, cavebit, opinor, tales ineptias, non levi quandoque auctoritate sultas, & hoc quidem periculosiores.

e Genesis 2.
f Eph. 5. 28

Domine Deus salutis meæ.) Nomen *Deus* omisit Hieronymus, & August. nec est in textu Hebræo vel Græco. Sæpius *Deum salutis meæ sua*, David appellat h, aut *virtutem salutis sua* i. Quomodo autem, Deus Christi salus, & *Salvator* dici possit, jam aliquoties antea docuimus. Porro in fine Psalmi cautè Augustinus legendus, quum ait salutem hanc esse *de qua exquisierunt Prophetæ*, ut scribit Petrus k, inquisierunt, prænunciaverunt, & non acceperunt: & nos invenimus quidem, sed nondum accepimus, & venientes post nos invenient, nec accipient, ut omnes simul in fine diei cum Patriarchis, & Prophetis, & Apostolis *denarium salutis* accipiamus l, & salutem sempiternam contemplando gloriam Dei, & ejus faciem intuendo. Videtur differre justorum animabus visionem Dei usque ad resurrectionem generalem. Sed quum alibi non semel oppositum deserte tradat, intelligit hoc loco plenam, & omnino completam beatitudinem, quæ tunc tantùm continget; immo, quod ego nulla ratione credo, nec Augustinum voluisse arbitror, existimaverunt aliqui, recuperato corpore animas beatorum perfectiùs, & clariùs visuras Deum. Sed hac de re aliàs.

h Ps. 87. 97. Ps. 26. 1. Ps. 50. 16. Psal. 87. 2.
i Ps. 139. 8. Cautio adhibenda in lectione loci August.
k 1. Ep. 1. 12.
l Mat. 20. 2.

Nonnullorum opinio circa animas cum corpore recuperatum Petrus Vega discursale Hispanicum in Psal. 2.

Ineptire videntur mihi m, qui clausulam istam Psalmi propriam dicunt esse pœnitentis, tum demum poscentis auxilium divinum, quum sua defleverit peccata: viros Ecclesiasticos, velut perfectiores, horas canonicas hinc inchoare. Nam nec sic inchoant; verùm ab alio versiculo Psalmi LXIX. *Deus in adjutorium meum intende*; nec minùs, immo certè magis flagitandum initio auxilium peccatoris, quum illius sit longè major miseria, necessitasque.

m

F I N I S.

RE-

RERUM MAGIS INSIGNIUM,

Tam ad S. Scripturam, quam ad Historiam, & Eruditionem in hoc opere exquisita pertinentium:

INDEX LOCUPLETISSIMUS,

Numerus quando præcedit litteram ad primam columnam remittit; quando vero littera præcedit numerum ad secundam.

A

A', ὑπερβατικὸν, quid sit. 96. D.
A', vocula acceptio. C. 555.
A', propositio, propropter, sicut min Hebræorum. B. 88.
Aaron absolutè dicendus invocator Dei; 51. C.
Aaron quomodo dictus Propheta, 2. C.
A Ἀνομίαν, ut interpretatur Euthymius. D. 68.
Abhominabitur: ut in vers. 7. psal. 5. Haymonis expositio. A 71
Abominati vocis significationes. A. 71
Abominationes quid appellarent, & adhuc hodie appellant Judæi. 169. B.
Abominationis quatuor modi distincti. 169. C.
Abhominabitur, cum h, scriptum. A 71.
Abderitarum in curando Democrito studium: & Hypocratis responsum Abderitis datum. 97. D.
Abialon etymon fefellit. D. 41.
Abialon ortus, vita, & Mors. C. 41
Abialon typus diaboli, Ecclesiam persequentis, aut Judæi D. 41.
Per Abialon totus populus Hebræus designatur. D. 41
Abialon circa mens Lipomani minus intellecta. D. 41.
Abialon quid, & quos adumbrarit. 42. A.
Abel nominis denominatio. 113. C.
Abscondes eos in abscondito faciei tuæ: ut in versu 21. Psal. 30. phrases Scripturæ. 413. A.
Absolutio, & Confessio apud sacerdotem. D. 564.
Abstracta pro concretis in scripturis usurpari solita. B. 44. & C. 344.
Abstinere etiam a licitis voluptatibus perfecti est: Hugonis Cardinalis moralis digressio. D. 190.
Abrahæ in sinu gaudere: Sinum Abrahæ petere; in sinu Abrahæ requies quid sint. 485. A.
Abundare ab undis dicunt latini. 270. C.
In abusione: ut in versu 19. Psalmi 30. abusionum gradus duodecim 411. B.
Abissi vox unde ducta. B. 445.
Abissos in Thesauris, ut in versu 7. psalmi 32. Mysticus sensus: Basilii observatio. D. 445.
Accedite ad eum, & illuminamini: ut in versu 6. psal. 33. Gregorii, & aliorum interpretatio: Collecta ex hoc loco doctrina Cyrilli Alessandrini. 460. A.C.
Accelera ut eruas me: ut in versu 3. psalmi 30. August. acuta observatio. D. 400.
Achitophel Bersabeæ Patruus creditus, & ab aliis Bersabeæ Avunculus, vel Uriæ. 42. C.
De Achimelech nomine controversia. 455. B.
Achis vocis Etymologiam. A 456.
Acinacis gladius Perficus. C. 102.
Acrostici versus. 329. C.
Actionis definitio. A. 337.
Actorum locus exponitur. D. 26.
Actiones impii hominis aliquo tempore moraliter possunt esse bonæ: 136. C.
Ἀκαιρίας, vocis significatio. 98. C.
Adamus tur non potest dici filius hominis. 113. A.
Adam vocis significatio. D. 53.
Ἀδὴν, & ᾠδὴ unde sumpta esse possit. B. 105.
Admirabile; idest, quam admirabile, ut in versu 1. psalmi 8. Chrisostomi sententia. B. 107.
Adjutorium quid sit. 397. B.
Adjutor meus, & protector meus: ut in versu 7. psalmi 27. mysticus de Christo sensus. 372. C.
Adinventiones tam in bonam, quàm in malam partem sumptæ. 370. D.
Adeps demonum, & esca pinguis peccatores. C. 205.
Adipem suum concluserunt: ut in versu 10. psal. 16. Adeps pinguedo pro lætitia spirituali: Adeps conclusus quid sit: Mystica interpretatio. 205. C.D.
Adolescentia usque ad trigesimum, vel quadragesimum annum prolata à Varrone, & Pythagora. D. 332.
Adolescentiari secundum Varronem quid sit. 333. D.
Adulteræ peccata cur Christus digito scribebat. B. 21.
In Adulatores, Sigismundi Imperatoris factum memorabile, & aliorum. 492. C.
Advertantur retrorsum: ut in versu 4. psalmi 34. Hieronymi, & Gregorii improbata sententia. 478. B.
In adversis tutiores consistimus. A. 393.
Adversus eos qui tribulant me: ut in versu 5. psalmi 22. Triplex loci sensus. 314. D.
Adorabo ad templum: ut in versu 8. psalmi 5. quid sit: 72. D.
Ædificare, & non ædificare quid sit. C. 371.
Ædificandi, & ædificationis voces quid. D. 371.
Ægyptiorum cum Scythis contentio de vetustate generis. B. 538.
Ænificare civitatem in sanguinibus, qui dicantur. 71. C.
Ægrotat corpore nemo libens. 82. D.
Ærarii pecunia, sanguis ejus. 352. C.
Æquitas: idest: In æquitate, & justitia: ut in versu 9. psal. 9. Ariæ observatio: Cajetani versio. D. 123.
Æquitatem vidit vultus ejus: ut in versu 8. psal. 10. Vatabli expositio: Quintus sensus Fabri. Argumentum contra hæreticos. 153. D. & B. 153.
Æquitas simulata, duplex est iniquitas. 499. A.
Ærumna ut sumatur. B. 414.
Ænos nominis denominatio. 113. C.
Ætas minor non rejicitur à servitio Dei. 109. C.
Æthiopis vocabulum pro peccatore. D. 91.
Æternitati collata omnis mora perbrevis est. 40. B.
Æternum, & in sæculum sæculi: ut in versu 6. psalmi 9. Euthymii expositio: August. & Origenis expositiones. D. 121.
Æternitas epithetum proprium Dei: 123. D.
Æternum: idest: non movebor in æternum: ut in versu 7. psal. 29. pro numquam. 394. A.
Æternitatis Christi testimonia. 271. A.
Affectus bonus voluntatis erga legem, ante intellectus meditationem non rectè exigitur. D. 17.
Afferte domino filii Dei: ut in versu 1. psalmi 28. Nysseni tropologia. 375. C.
Afferte Domino filii Dei: ut supra: Mysticus sensus. A. 376.
Afferte Domino: ut supra: Cyrilli observatio. C. 376.
Afflictorum singulare remedium, & magnum solatium. D. 475.
Affirmatione, & negatione scripturis mos est afferendi rem eamdem. B. 126.
Agilitas manuum, & pedum in bello laudata B. 234.
De Agilitate in cursu: Galeni, & aliorum sententia. C. 234.
Ἀγαπήσωσε, verbi vis. C. 76.
Alacritas quantum in bello juvet. 235. C.
Ἀγαπᾶν, quasi ἀγανᾶσθαι. 120. A.
Alcibiadis vetus proverbium de Silenis. C. 182.
Alexander à Curtio vituperatus. 232. C.
Alexandri velocitas pedum. B. 234.
Alexander sobrius se vult occidere, quòd Clitum ebrius interfecisset. 82. D.
Albigenses, & alii refutati. 72. C.
Albo colore uti solitæ Romanæ Mulieres in luctu. 485. A.
Altitudo: idest secundum altitudinem tuam: ut in versu 9. psal. 11. Eugubinus: Mysticus sensus: Tropologia. A.B. 161.

Altis-